



## **Dette værk er downloadet fra Slægtsforskernes Bibliotek**

Slægtsforskernes Bibliotek drives af foreningen Danske Slægtsforskere. Det er et privat special-bibliotek med værker, der er en del af vores fælles kulturarv omfattende slægts-, lokal- og personalhistorie.

### **Støt Slægtsforskernes Bibliotek – Bliv sponsor**

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

### **Ophavsret**

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug. Videre publicering og distribution uden for husstanden er ulovlig.

### **Links**

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

# Examen Publicum Anniversarium

in

# Schola Metropolitana

a. d. XII Cal. Octobres A. MDCCCXXX

habendum

indicit

## Rector Scholæ

*Nicolaus Lang Nissen,*

Doctor Philosophiæ et Magister Artium atque Professor, Ord. Dannebr. Equês.

---

De editoribus Livii nondum satis codicum fidem secutis scripsit  
*C. F. Ingerslev, Scholæ Adjunctus.*

---

H a u n i æ.

Typis expressit Director *Janus Hostrup Schultz,*  
Aulæ et Universitatis Typographus.

---

Quum suscepta opera aliqua, quam hic disertius commemorare nihil at-  
tinet, occasio mihi oblata esset textum Livii diligentius inspiciendi et ac-  
curate, quantum fieri poterat, cognoscendi fundamentum, cui superstructa  
est hodierna verborum Livii descriptio, observare mihi visus sum, id quod  
Viri Docti nostris temporibus passim affirmarunt, in critica veterum scri-  
ptorum tractatione monumentisque antiquitatis in pristinam ac genuinam  
formam restituendis tantum abesse, ut nihil nobis reliqui fecerint antiquio-  
res critici, ut in multis scriptoribus res fere de integro suscipienda sit, in  
aliis multi errores, multa negligentiae et incuriae delicta corrigenda adhuc  
restent, id, inquam, de T. Livio quoque non falso dici posse. Quamquam  
non ea est eius librorum conditio, quae aliorum nonnullorum scriptorum,  
ut textus codicum auctoritate destitutus et temere ac fere arbitrarie con-  
stitutus in editionibus vulgo circumferatur; nam de Livio praeter alios  
*Gronovius* et *Drakenborchius* tam praecclare meriti sunt,\*) ut iam in pleris-  
que locis verba eius genuina et ex sanae criticae praecipis constituta nos ha-  
bere confidere possimus. Sed, ut nihil humani perfectum, ex locis infra af-  
ferendis apparebit, opinor, etiam post eos in textu Livii multa editoribus se-  
quentibus corrigenda relicta fuisse, nonnulla adhuc restare. Qui post *Dra-  
kenborchium* Livium ediderunt, fere omnes in eius auctoritate acquiescentes  
textum plerumque qualem is dederat retinuerunt, nec nisi in paucis locis, fere

---

\*) Accedit, quod vix ad ullum alium scriptorem Latinum tam amplam tamque diligenter  
collectam copiam variarum lectionum ex bonis codicibus habemus, quam quae ad Li-  
vium exstat.

semper in iis ubi de sensu verborum et de interpretatione disceptabatur, ab eo discesserunt. *Crevierius*, qui eodem fere tempore quo ille Livium edidit, etsi nonnulla mutavit ex codd. Parisiensibus, non tamen novæ recensionis, quam vocant, auctorem se professus est, sed Gronovio plerumque adhæsit. In permultis locis de codd. suis tacet, ubi nolles eum tacuisse (sed consulto ita egisse videtur, vid. Præfat. p. LXI); in nonnullis locis textum Gronovianum retinuit, quamquam codd. verum afferebant. — De ceteris editoribus commemorare non opus est post ea quæ disputavit *Kreyssig* in Præfat. ad ed. stereotypam;\*) in locis quibusdam scripturam Drakenborchii deseruerunt, in pluribus retinuerunt ubi deserenda erat. Ipse *Kreys-sigius* in prioribus libris eodem modo versatus est, ut non nisi passim textum Drakenborchianum refingeret (vid. Præfat. et cfr. *Varietatem lectionum editionis Drak.* editioni stereotypæ subiunctam), in quarta demum decade editio eius novam editionum familiam ducat. — Excipiendus vero h. l. est recentissimus, ex iis quos mihi inspicere licuit, Livii editor, *Imm. Bekker* (Berol. 1829. Ed. stereot. Notas in usum scholarum adiecit *Raschig*). Is enim quamquam non, ut alii, magnificis verbis promiserat, se genuinum Livii textum esse restitutum, re vera tamen solus apparatu critico apud Drakenb. diligentius usus esse videtur, quapropter in multis locis tacite verum reposuit pro iis erroribus, quos ceteri editores bona fide ab ed. Drakenb. acceptas retinuerunt. Itaque is in multis locis codicum\*\*) scriptura restituta operam meam supervacaneam fecit; quorum plerosque, quoniam, quum tacite id fecerit, ne plerisque quidem emendationes eius

---

\*) Monere h. l. debeo, me editione *Kreyssigii* maiore (c: Erhestiana ab *Kreyssigio* curata) caruisse. Præterea fieri potest, ut editio aliqua mihi non nota uno vel altero loco excipienda fuisset, ubi de edd. recentioribus communiter dixerim; sed omnes comparare non poteram.

\*\*) Ubi *codd. optimi* vel simpliciter *codd.* dico, intelligo præstantissimos tres, Flor. Leid. l. Harl. l., quibus reliquorum turba cedere debet (vid. *Drak.* in *Syllabo codd.*).

notæ esse possunt, infra in nota apponam\*), de nonnullis fusius disputare non alienum visum est.

Sed præter locos a Bekkero restitutos multi præterea sunt, in quibus a codd. longe discedit ea quæ in editionibus obtinet scriptura; quorum de

---

\*) 1, 5. *multis ante tempestatibus tenuerat loca Ceteri*; Bekker ex codd. *tenuerit*. 1, 22. *Hic non solum proximo regi dissimilis sed ferocior etiam Romulo fuit*. Sic Drak. Crev. sqq.; Bekker ex codd. *recte ferocior etiam quam Romulus*. 1, 38. *Collatia et quicquid circa Collatiam agri erat Ceteri*; Bekker ex codd. *optimis recte reposuit citra Collatiam*. 1, 54. *Largitionis inde prædæque et dulcedine privati commodi sensus malorum publicorum adimi Ceteri*; Bekker ex codd. *recte: largitiones inde prædæque, et dulcedine cct.* 1, 58 extr. *Conclamant vir paterque Ceteri*; Bekker ex codd. *recte conclamat* (ita 7, 39. *quam multitudinem consul alter prætorque retinebat*; vid Drak. ad 37, 29, quamquam Drak. ibi locos diversi generis confudit; nam huc non pertinent ii loci in quibus verbum singulare sequitur duo nomina res inanimas, ut aiunt Crammatici, significantia). 2, 16 extr. *Iram belli hostis abstinuit vulgo*; Bekker ex codd. *recte ira belli abstinuit*. 2, 21 *Mortuus est Cumis Ceteri*; Bekker ex codd. *delevit est*. 2, 36. *Tum enimvero Ceteri*; Bekker ex codd. *Tunc en*. 2, 44. *in præsentia re ipsa Ceteri*; Bekker ex codd. *delevit ipsa*. 2, 59 *ut neque imperia exaudiri neque instrui acies possent Ceteri*; Bekker ex codd. *posset*, quemadmodum voluit Drakenb. — Præterea in multis locis, ubi Ceteri habent *tum — tum*, Bekkerus ex codd. *recte restituit quum (cum) — tum*. Sunt ii: 1, 22. 1, 57. 2, 9. 2, 17. 2, 26 (invitus haud dubie V. D. 1, 47 *dedit tum de se ingentia pollicendo tum regis criminibus*, ubi similiter ex codd. scribendum *quum — tum*). Quamquam enim nonnulli VV. DD., inter quos ex recentioribus Goerenz (vid. ad Cic. Acad. 2. p. 122) et Schütz, ubi per has particulas iungantur res sibi pares, ut significant i. q. *et — et*, ubique scribi volunt *tum — tum*, verissime tamen iudicasse videtur Orelli ad Cic. Cluent. 42, 118, omnem hanc rem ex codd. pendere. Adscribam verba Drakenborchii ad 6, 23, quæ omnem dubitationem tollere debere mihi quidem videntur: "Tanta harum partt. in codd. ob ductuum similitudinem, quæ inter litteras e et t præsertim in scriptura Longobardica intercedit, confusio est, ut vix de usu earum certa regulæ præseribi possint. In Livio autem, ubi similes locutiones passim obcurrunt, tantum non semper codd. variant. Illud tamen in genere observavi, in codd. antiquissimis et integerrimis (Flor. Leid. 1. Harl. 1.) potius *quum — tum* quam *tum — tum* reperiri." — Similiter Bekker 1, 9 pro *sanguinem et genus* ex codd. scripsit s. ac g. (verum etiam 1, 7 pro *ara condita atque dicata* ex codd. scribere debebat ac). 1, 28 a *senatu Ceteri*; Bekker ex codd. *ab s.* (contra 1, 53 pro *ab portis* ex codd. scribere debebat a p.); 2, 15 ex *Patribus Ceteri*; Bekker ex codd. *e P.* Denique nonnullis in locis Bekkerus ex codd. ordinem verborum, quem post Drak. ceteri retinuerant, ex codd. mutavit: ita 1, 13 scripsit *hi liberum*; 1, 37 *id votum*; 1, 47 *res est*; 2, 12 *militibus forte*; 2, 13 pro *rupto foedus se habiturum*.

nonnullis (nam de multis nondum satis mihi constat), ex primo et secundo libro desumptis hoc libello æquis iudicibus exponam, quæ cum Viris Doctis communicanda habeo; unum rogans, ne quis aut res obscuras et difficiles a me explicatas aut corruptos scriptoris locos vel ingenii vel exquisitoris doctrinæ ope emendatos exspectet; frustra enim erit si quis talia in hoc libello quæret.\*)

I, 1. *Et in quem primum egressi sunt locum, Troia vocatur.* Ita nunc omnes edd.; codd. tamen *primo*, quod recipiendum; cfr. infra: *primo* (o: primo loco) *in Macedoniam venisse.* Nescio, quis illud *primum* in textum induxerit: haud dubie adiectivum esse voluit ad *quem* referendum, ut dictum esset pro *et primus locus in quem egressi sunt* cet. Sed nulla caussa est codd. scripturam mutandi.

Ibid. *Ab Sicilia classe Laurentem agrum tenuisse.* Sic Drakenb. Crevier (qui ex codd. suis nihil adnotavit), Stroth, Bekker. Kreyssig et Baumgarten-Crusius recte ediderunt *ad Laurentem agrum tenuisse*; nam codd. omnes habent aut *ad L.* aut *ac L.*, et *tenuisse* significat *cursum direxisse.* Quamquam enim Livius sæpius dicit *locum, portum tenere* pro *eo pervenire*, alterum loquendi genus tamen non ab eo alienum censi debet. Præter h. l. eo usus est 31, 45: *primo ad Mendim — tenuere*, quemadmodum omnes codd. præter tres ex deterioribus habent; et idem restituendum est 21, 49, ubi ex codd. plurimis (inter quos optimus Flor.) scribendum: *novem Liparas, octo ad insulam Vulcani tenuerunt*, recte defendente Gronovio ad 24, 3. Ibi tamen Kreyssigius et Baumgarten-Crusius ediderunt *octo insulas V.* Sed puto et eos et reliquos editores il-

---

\*) Unum statim monebo, Drakenborchio interdum accidisse, ut in notis aliam scripturam se recepisse dicat, in textu aliam exhibeat. Ita in Præfat., *et me ipsum consuluisse*, delere voluit *me*; 2, 17 init. delere voluit copulam *et* inter Consulium nomina. 2, 7 *uno plus Etruscorum dedit*, quamquam in nota dicit se recepisse, quod codd. optimi habent, *Tuscorum.* Denique 2, 59 (vid. supra) in nota dicit se auctoritati codd. cessisse, in textu tamen exstat *possent.*

lud *ad* propterea delevisse, quod priora verba, *novem Liparas (tenuerunt)*, interpretarentur: *novem Liparas pervenerunt* (vid. supra), quum interpretanda essent eodem modo quo sequentia: *novem ad L. versus cursum direxerunt* (tamen non multum interest, quum neque nostra interpretatio excludat notionem *pervenienti*). Præpositio *ad*, in priore membro recte omissa, in altero, ubi nomen appellativum proprio præmittitur (cuiusmodi orationis variationem Livium amare multis exemplis docet Drak. ad 38, 39 et 39, 14), recte adiecta est.

I, 32. *Si ego iniuste inpieque illos homines illasque res dedier nuncio populi Romani mihi exposco* cet. Ita Drak., Crev., Stroth, B. Crusius, Kreyssig. Ex codd. hæ scripturæ adnotantur: *nuncio* abest a Voss. utroque, Lips., Harl. 2, Portug. *dedito Po. R. mihi exposco* Leid. 1. *dedito populo Romano mihi e.* Leid. 2. *reddi P. R. mihi e.* Fragm. Haverc. *dedito P. R. mihi e.* Haverc. a m. pr., *mihique* a m. sec. *dedito exposco* Florent. *dedito populo Romano mihique exp.* Oxon. B. et edd. antiquæ usque ad Aldum, qui primus vulgatum exhibuit (Crevierius de codd. suis tacet). Hinc apparet, illud *nuncio*, quod in nullo cod. exstare videtur, spurium esse. Itaque Bekkerus revocavit scripturam veterum edd. *dedito populo Romano mihique exposco*. Sed nec hoc verum puto; nam part. *que* (*mih* adiectam) a codd. abesse vidimus præter Oxon. B. et Haverc. a m. sec.; nec intelligitur, quomodo factum sit, ut tam facilis lectio (librariis vel ideo potius temere recipienda quam corrupenda, quod in fine capitis sequitur *ego populusque Romanus*) in omnibus fere codd. corrupta sit. Equidem existimo solum cod. optimum Florent. veram scripturam servasse, et eiicienda esse verba *nuncio populi Romani mihi*. Id suadet magna scripturæ varietas, quæ in loco tam facili plerumque documento est, glossam aliquam irrepsisse: ad illud *dedito* sciolus aliquis explicandi causa adscripsit *P. R.* (o: populo Romano), alius adscripsit *mih*; utrumque, ut fieri solebat, a librariis inter verba scriptoris receptum. Quod quum intelligi non posset, inde composita est et lectio edd. veterum

a Bekkero recepta et lectio Aldi, quæ postea vulgata fuit. Et ne quis dicat, in hac formula et in oratione tam verbosæ repetitionis plena non bene desiderari hominis, cui dedendæ essent res; commemorationem, in eiusdem generis formula, quæ infra hoc capite exstat, non minus abest; *quas res dari, fieri, solvi oportuit, quas res nec* cet., ubi, si illa ratio quidquam valeret, æque adiciendum fuisset *nobis* v. *populo Romano*.

I, 33. *Ingenti præda potitus R. r.* Ita edd. præter Bekkerum, qui ex omnibus codd. Drakenb. et sex Crevierii recte dedit *potens*. Defenditur hæc lectio simili (etsi adhuc rarissimo) usu adiectivi *potens* apud alios scriptores: Virg. Æn. VI, 844: *parvoque potentem Fabricium* ♂: divitem (sua sententia; qui parvo dives sibi videbatur); Terent. Eun. II, 3, 61 (Reinhardt), ubi Parmenonem, Pamphilam Thaidi dono datam esse, narrantem interrogat Chærea: *Quis is est tam potens cum tanto munere hoc?* Heaut. I, 3, 15 *Mea (amica) est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis*. Tria hæc loca suppeditavit Scheller in Lex.; fortasse plura etiam reperiri poterunt. Sed præterea ex codd. scribendum *rediit* pro *redit*, quod nunc habent omnes edd., vide quæ infra dicentur ad 1, 48.

I, 34. *Sublatis itaque rebus commigrant Romam.* Ita edd. præter Bekkerum, qui ex codd. optimis et plurimis dedit *amigrant*; recte puto. Quamquam enim hoc verbum adhuc inauditum esse probe scio et in Lexicis desiderari, tamen codd. auctoritati cedendum arbitror, quum vix intelligas, unde, si Livius *commigrant* scripsisset, librariis in mentem venisset pro voce usitatissima verbum tam novum substituere; et fieri potest, ut codd. vel Livii vel aliorum scriptorum diligentius excussis vocem adhuc nonnisi semel obviam pluribus locis recipiendam appareat.

I, 38. *Dedimus. At ego recipio.* Ita constanter omnes edd.; sed codd. optimi et plerique habent *Et ego r.*, quod cur mutatum sit nescio equidem, nec ullam causam mutationis a quoquam allatam vidi. Itaque sine hæsitatione *Et* revocandum.



I, 40. *Sed et iniuriæ dolor in Tarquinium ipsum magis quam in Servium eos stimulabat: et quia gravior ultor cædis, si superesset, rex futurus erat quam privatus: tum, Servio occiso cet.* Aut tres hoc loco affert Livius causas, cur Tarquinium quam Servium interficere mallent, ut accurate dicitur fuisset: *Sed commune in Tarquinium et Servium odium illius quam Servius cæde exsequi maluerunt, et quia iniuriæ — et quia gravior — tum quia Servio cet.*; sed tum fatendum est, Livium negligentissime scripsisse, quum part. causalem quia non nisi alteri orationis membro adiceret, ad cetera æque necessariam: aut (quod fere vult Strothius) verba *Sed — stimulabat* continent non cogitationem iuvenem, quæ illis pro causa erat iram in Servium potius convertendi, sed rem facti, ut aiunt, cuius deinde in seqq. rationes duas, particula quia priori adiecta, exponit. Sed tum delenda est part. *et*, quæ in multis codd. (quamquam non in Leid. 1. et Harl. 1.; de Flor. incertum me facit silentium Drakenborchii) et in edd. Aldina antiquioribus abest, ut sensus sit: *Tarquinium quam Servium interficere malebant quia hoc (Servium interficere) et magis periculosum et inutile foret.*

I, 46. *Tota in alterum versa Tarquinium.* Ita nunc ab omnibus quos vidi editur; sed ex codd. optimis, quibus accedunt Palatt., Voss. 2., Lips., scribendum *adversa* ∅: *conversa*. Ita Livius 1, 12: *adverteratque ea res etiam Sabinos tanti periculo viri* (∅: ad se converterat), ubi deteriores codd. habent *averterat*. Cfr. 37, 9: *in portum, quem vocant Achæorum, classem primum advertit*, ubi Gelenius pro antea vulgato *avertit* ex conjectura dedit *advertit*, adstipulantibus omnibus codd. Drakenborchii. Hæc duo verba sæpius commutata sunt: 5, 42 vulgo *fragor ruentium tectorum avertisset*; Bekker ex codd. Lovel. 1. Leid. 2. Fragm. Haverc. (optimæ notæ) recte dedit *advertisset*, quod iam Drak. unice probaverat. 6, 23 *Tota in se averterat castra* vulgo; scribendum cum Pall. 1. et 2. Fragm. Haverc. Voss. 1. Leid. 2. Lovel. 1. 3. 5. Portug. *adverterat*. Et fortasse in pluribus etiam locis talia mutanda erant; omnem enim rem plerumque

ex codd. auctoritate pendere arbitror, quum in plerisque locis utrumque bene ferri possit. Nam, ut recte Drak. ad 26, 5: "Si *advertere* legas, subintellige *ad se*; si *avertere*, subintellige *a re*, de qua sermo est.

Ibid. *Et se rectius viduam et illum coelibem futurum fuisse contendere, quam cum impari iungi, ut elanguescendum aliena ignota esset.* Ita post Drak. omnes edd., sensu facili et optimo; sed nullius codd. auctoritate firmatur hæc lectio, quamquam, nisi codd. genuinum offerrent, ex variis eorum scripturis eam recte concinnatam esse non negarem. Codd. ita habent: *haud elanguescendum esse* Leid. 2. Voss. 1. a m. pr., a m. sec. *es- set*, ut Veith. *aud elanguescendam esse* Portug. a m. pr., *haud elanguescendum esse* a m. sec.; ita etiam Oxonn. B et C. *haud languescendum esse* Harl. 2. Lips. *ut elanguescendum esse* Harl. 1. *et elanguescendum esse* Helm. 1. *aut elanguescendum esse* Voss. 2. Haverc. Leid. 1.; sed in hoc codice plerumque *aut* pro *haud* scribi solere docet Drak. ad 4, 12, 8, ut pro nostra lectione infra proponenda stare censeari possit. Vides omnes codd. habere *esse*, non nisi unum *ut*; neque tamen in codd. Livii partt. *haud* et *ut* commutari solent (quod ex Drak. nota ad 4, 12, 8 colligas non minus quam exinde, quod in Indice nullus locus affertur ubi id factum sit). Vix igitur dubium est, quin pro *ut* scribendum *haud*, et locus ita edendus: *Et se — iungi. Haud elanguescendum — esse: si sibi eum cet.* Queritur primum mulier de iniqua sua fortuna; transit deinde ad adolescentem excitandum spemque, quam sibi ingenium eius ferox, si dii voluissent, imperii potiundi afferret, significandam.

I, 48. *Tum Tarquinius, necessitate iam ipsa cogente ultima audere, multo et ætate et viribus validior, medium adripit Servium, elatumque e curia in inferiorem partem per gradus deiecit. Inde ad cogendum senatum in curiam redit. Fit fuga cet.* Ita omnes edd., miro sane consensu; nam verum præbent codd., idque aliis in locis recte receperunt iidem edd. Ex optimis enim et plerisque codd. scribendum *deiecit — rediit.* Nihil apud Livium frequentius quam quod in narrando præsens et præteritum

iungitur; vid. 1, 33. 1, 41 (ubi miror Kreyssigium contra optimos et longe plurimos codd. revocasse præsens *eiicit*). 29, 27, quibus in locis post præsens infertur præteritum. Contra 3, 46. 3, 51. 9, 41. 34, 25 post præsens sequitur præteritum; et ita his locis omnes edd., quamquam nostro loco illam orationis varietatem admittere noluisse videntur. Plura exempla, si opus est, allata videbis a Drak. ad 3, 46. 9, 41. 29, 27. Unum addam, Drak. ad 3, 60 iniuria dubitasse, *reddidit* an *reddit* scribendum esset; præsens enim servant tres codd. optimi, qui ubi consentiunt, ceteri cedere debent.

I, 51. *Per adversæ factionis quosdam Aricinos servum Turni auro corrumpit, ut in deversorium* cet. Part. *ut*, quæ abest ab optimis et plerisque codd., delenda videtur. Quamquam enim constat (vid. Drak. ad. h. l.), hanc part. a librariis sæpe omissam esse post vocabula in *it* exeuntia, tanto tamen codd. consensui h. l. obtemperandum videtur; et post verbum *corrumpere*, cui inest notio *hortandi*, *persuadendi*, part. bene abesse posse equidem puto (cfr. Ind. Drak. v. *ut* et Ramshorn. Gr. §. 182. not. 1.

I, 56. *Tarquinius, ut Sextus, qui Romæ relictus fuerat, ignarus responsi expersque imperii esset, rem summa ope taceri iubent* cet. Ita edd; sed codd. aliter: optimi, quibus accedunt alii, habent *Tarquinius Sextus, qui Romæ relictus fuerat, ut ignarus* cet., quod recipiendum est (Voss. 2. et Helm. 1. habent *Tarquinius Sextus — fuerat, ignarus*; quemadmodum editur, nullus cod. præfert). Verba *Tarquinius Sextus* in initio periodi posita sunt, quoniam is opponitur ceteris (vide de hoc verborum ordine Ramshorn Gr. §. 200. II. 4); et amat Livius tales periodos, cfr. v. c. 1, 1 *Ubi egressi Troiani — quum prædam ex agris agerent, Latinus* cet.

II, 2. *Ne ubiubi regum desiderium esset.* Ita edd; et mireris sane eos omnes constanter falsam scripturam retinuisse, quamquam veram iam ex codd. dederant antiquæ edd. pleræque ante Gronovium. Codd. ita habent: *necubi regum* Florent. Harl. 1. Voss. 2. Leid. 2. Portug. Gaertn. Veith. Haverc. a m. sec. (a m. pr. *ne ibi*) Oxonn. L. 1. N. C. *ne ullum ibi regum* Oxon. B. Harl. 2. *nec ubi ibi regum* Leid. 1. et Oxon. L. 2. *nec ut ibi*

*regum* Lips. Crevierius de codd. suis tacet. Patet, opinor, illud *ne ubiubi*, quod in nullo cod. exstat (quod nonnulli habent, *ne ubi ibi* cet., ortum est ex geminatione centies obvia), spurium esse, Livium autem scripsisse *necubi* eo sensu quo sæpissime apud Cæsarem, Sallustium, Livium legitur, ut significet *ne alicubi*, *ne ullo in loco*. Liv. 22, 2 *necubi consistere coactis necessaria ad usus deessent*. 25, 33. *necubi — delitescerent latrones*. In his locis ipse Drakenborchius recepit vocem h. l. ab eo sine causa repudiatam. — Sed præterea illud *ne ubiubi* h. l. omnino ineptum iure censuerunt plures ex antiquioribus intpp. (vid. apud Drak.). Nam regem sacrificulum creaverunt Romani, non *ne omni in loco* (id quod significat *ubiubi*) desiderium regum esset (quod fieri non poterat, quum consules omnia eorum munera administrarent, vid. ipsum Livium c. 4. *Libertatis inde* cet.), sed *ne ullo in loco* eorum opera desideraretur, itaque religio plebi iniiceretur, et consilii eos eiciendi homines superstitiosos poeniteret. Id sensit etiam Scheller in Lex., qui *ne ubiubi* h. l. explicari voluit: *ne alicubi*, ipse vero notavit, hoc uno loco id factum; credo, nam eo sensu non Latinum est *ubiubi*.

II, 16. *Ut funeri sumtus deesset: de publico est elatus*. Ita omnes edd.; codd. omnes *est datus*, quod recipiendum videtur. Docent certatim interpretes (vid. Drakenb.), et sæpe in codd. permutari *d* et *el*, et Livium frequenter verbo *efferre* illo sensu usum esse. De qua re nemo dubitat; sed bene se habet etiam codicum scriptura: *sumtus ad funus necessarius de publico datus est*. Ita etiam Cic. Inv. II, 29. (*Quum iis, qui legati erant, sumtus — non daretur*) *sumtus* dicitur de pecunia ad sumtus faciendos necessaria.

II, 31. *Fundit fugatque exiitque castris*. Ita vulgo; codd. optimi et plerique apud Drakenb. et Crevier. habent *fundit fugatque, exiit castris*, quod revocandum censeo. Dubitarunt interpretes (negavit Drakenborchius), membra orationis recte iungi posse ea quam codd. præferunt ratione. Gronovius coniecit *fundit fugatque et exiit castris*, quod

bene Latine dici (recepit Bekker), usu particularum, recto et frequenti, ubi ex tribus substantivis duo priora fere idem significant, docuit Madvig Emendatt. in Cic. p. 40. Verum quum sæpissime apud Livium verbum nulla copula iunctum alteri verbo adiciatur, omnes, opinor, concedent, Gronovium sine necessitate part. *et* adiecisse: nam si, quod etiam ille necessario voluit, *fundit fugatque* pro uno membro putamus, alterum *exiit* sine copula recte adici apparet. Et ita Livius loquitur 32, 6, 6: *fusum fugatumque, castris exutum*, ubi nulla scripturæ varietas adnotatur.

II, 40. *Et quam armis viri defendere urbem non possent, mulieres precibus lacrimisque defenderent.* Ita edd.; sed cod. Florent. Voss. 1. et 2. Leid. 2. Portug. (in marg.) habent *et quoniam*; "Leid. 1 et Harl. 1. *qm*, quod pro *quam* acceperunt, quum constanter eo compendio notetur *quoniam*" (verba sunt Drakenborchii). Itaque Drak. iure *quoniam* revocandum censuit, quamquam ipse retinuit *quam*.

Ibid. *Non inviderunt laudes suas mulieribus viri Romani.* Ita omnes edd. Sed codd. optimi et præter eos fere omnes reliqui, etiam Crevierii, constanter præferunt *laude sua*, quod recipiendum est. Constat recentiores, Tacitum, Plinium utrumque (præcipue tamen minorem), Lucanum sæpe dixisse\*) *invidere alicui aliqua re*, vid. Drak. ad h. l., Spalding ad Quintil. 9, 3., Weber ad Lucani Phars. VII, 798; sed in Livio eam constructionem admittendam negarunt Viri Docti. Mihi tamen secus videtur; nam primum locus Quintilianii 9, 3., ob quem maxime ita iudicasse videntur, et incertam habet scripturam nec id probat, quod, si ex eo argumentum contra nostram sententiam petendum esset, probare debebat. Verba eius sunt: "Si antiquum sermonem nostro comparemus, pæne iam, quidquid loquimur, figura est: ut *hac re invidere*, non ut omnes veteres et Cicero præcipue, *hanc rem inv.*" Spalding in nota ad h. l. censet, Drakenborchium rectissime nostro loco retinuisse accusativum, quum

---

\*) Librarii tamen sæpe eam constructionem mutaverunt, vid. Weber l. c.

Livius apud Quinctilianum pertineat ad *veteres*. Verum id neque demonstravit locis a se allatis nec demonstrare poterat, quum ipse ad 4, 2, 118 fassus esset, lubricam et impeditam esse disputationem, quibus maxime terminis contineretur ea quam Quinctilianus usurpet scriptorum et oratorum *vetustas*, nec videri scriptorem hac in re sibi satis constitisse. Deinde observant Heindorf ad Horat. Sat. II, 6, 84 et Weber ad Lucan. Phars. l. c., hanc constructionem ortam esse ex Græcorum *φθονεῖν τῷ τῶος*, et eodem modo explicandam quo ea quæ alibi, v. c. Horat. l. c., exstat, *invidere alicuius rei*: utroque modo loqui licebat, quoniam *invidere* habet notionem *carendi*.

II, 44. *Et consulares, ut cuique privatim cet.* Ita vulgo; ex codd. post *cuique* inserendum *eorum*.

II, 51. *Interventu collegæ ipse exercitusque eius est servatus.* Ita edd. (Crevierius invitus retinuit *eius*); ex codd. illud *eius* delendum. Quæ Drak. ad id defendendum disputat, nihil efficere mihi quidem videntur.

---

Indicatur hac Prolusione examen publicum anniversarium in schola Metropolitana eo ordine, quem exhibet pagina proxima, habendum. Cui ut frequentes interesse velint quicumque scholæ nostræ favent, ea qua par est observantia invitati et rogati sunt.

---

# S c h e m a

over

## Examinationens Gang ved den offentlige Examen i September 1830 i Metropolitanaskolen.

I 4 <sup>de</sup> Classes Læsestue.	I III Classe A <sup>o</sup> Læsestue.	Stilene udarbejdes saaledes:
<b>Mandagen den</b> 9-11½ Latin.....III A. 11½-1½ Latin.....II A. 4-6 Hebraisk.....IV Cl.	<b>20de September.</b> 9-11 Dansk.....IV Cl. 11-1½ Hist. og Geogr.....III B. 4-6 Fransk.....II AB.	<b>Onsdagen den 22de September.</b> 9-12 Latinsk Stiiil.....IV Cl. — — — .....III Cl. A. — — — .....III Cl. B. — — — (i I Cl.) II Cl. A. 12-2 Tydsk Stiiil.....IV Cl.
<b>Tirsdagen den</b> 9-11½ Hist. og Geogr.....IV Cl. 11½-1½ Græsk.....III A. 4-6 Dansk.....I Cl.	<b>21de September.</b> 9-11½ Fransk.....III B. 11½-1½ Dansk.....II AB. 4-7 Religion og Bibelh....II B.	<b>Løvdagen den 25de September.</b> 9-12 Dansk Stiiil.....IV Cl. — — — .....III Cl. A. — — — .....III Cl. B. — — — .....II Cl. A. — — — (i Hjælpecl.) II Cl. B. — — — .....I Cl. 12-2 Fransk Stiiil...(i II Cl.) IV Cl.
<b>Onsdagen den</b> 9-12 Latinsk Stiiil. 12-2 Tydsk Stiiil.	<b>22de September.</b> 9-11 Fransk.....I Cl. 11½-12½ Naturhistorie.....II B. 12½-1½ Naturhistorie.....II A.	
<b>Torsdagen den</b> 9-11½ Latin.....IV Cl. 11½-1½ Latin.....II B. 4-6 Hist. og Geogr.....II A.	<b>23de September.</b> 9-11½ Hist. og Geogr.....III A. 11½-1½ Fransk.....IV Cl. 4-6 Tydsk.....IV Cl.	<b>Torsdagen den 30te September.</b> 9-12 Overs.fra Latin(i II Cl.) IV Cl. — — — .....III Cl. A. — — — .....III Cl. B.
<b>Fredagen den</b> 9-11½ Hebraisk.....III A. 11½-1½ Latin.....III B. 4-6 Latin.....I Cl.	<b>24de September.</b> 9-11½ Matematik.....II A. 11½-1½ Arithmetik.....II B. 4-6 Matematik.....IV Cl.	
<b>Løvdagen den</b> 9-12 Dansk Stiiil. 12-2 Fransk Stiiil.	<b>25de September.</b> 12-2 Naturhistorie.....I Cl.	
<b>Mandagen den</b> 9-11½ Græsk.....IV Cl. 11½-1½ Tydsk.....III B. 4-6 Religion og Bibelh....IV Cl.	<b>27de September.</b> 9-10½ Dansk.....III A. 10½-12½ Religion og Bibelh....I Cl. 12½-2 Arithmetik.....I Cl. 4-6 Tydsk.....II AB.	
<b>Tirsdagen den</b> 9-12 Græsk.....III B. 12-2 Fransk.....III A. 4-6 Hist. og Geogr.....II B.	<b>28de September.</b> 9-10½ Tydsk.....III A. 10½-12 Religion og Bibelh....II A. 12-2 Hist. og Geogr.....I Cl. 4-6 Religion og Bibelh....III B.	
<b>Onsdagen den</b> 9-11½ Religion og Bibelh....III A. 11½-1½ Græsk.....II B. 4-6 Græsk.....II A.	<b>29de September.</b> 9-11½ Dansk.....III B. 11½-1½ Matematik.....III A. 4-6 Matematik.....III B.	
<b>Torsdagen den</b> 9-11 Tydsk.....I Cl.	<b>30te September.</b> 9-12 Oversættelse fra Latin.	

De Candidater,  
som i Aar dimitteres til Academiet, ere:

1. *Carl Ferdinand Allen*, en Søn af Hr. Sølvpletterer Robert Allen her i Staden;
  2. *Johan Alfred Bornemann*, en Søn af Hr. Etatsraad, Professor, Doctor Juris Matthias Hastrup Bornemann;
  3. *Wilhelm Julius Zingelmann*, en Søn af Hr. Oberst Johan Philip Zingelmann ved 2det Livregiment;
  4. *Lauritz Regner Tuxen*, en Søn af Hr. Nicolai Henrik Tuxen, Capitain i Söe-Etaten, Ridder af Dannebrogen;
  5. *Hans August Böhmer*, en Søn af afskediget Major Christian Ludvig Böhmer ved 2det Jydske Regiment;
  6. *Carl Otto Schmidt Phiseldeck*, en Søn af Hr. Conferentsraad Conrad Frederik Elias von Schmidt Phiseldeck, Deputeret i General-Toldkammeret og Commerce-Collegiet, Ridder af Dannebrogen og D. M.;
  7. *Amy Henrik Lauritz Amysen*, en Søn af afdøde Landchirurg Lars Amysen paa Færøerne.
-